

DE IUSTITIA IN MUNDO

INTERVENTUS IN SEDE RESPONSIONIS

Nescio an intimae incoercibilesque populorum adspiraciones unquam fuerint tam sincere et universaliter enuntiatae, ut in hac Catholici Episcopatus Synodo.

In ea enim humanae conscientiae vox coniungi visa mihi est cum voce Divini sui Redemptoris ac Liberatoris, qui loquitur per os Ecclesiae.

Si quaeramus quae sint Ecclesiae iura et officia ad iustitiae adventum promovendum in orbem terrarum, haec mihi videntur eadem esse atque iura et officia conscientiae humanae: exigentia enim iustitiae ita intime inest hominum, praesertim pauperum et humilium animo, ut eius defensio necessario eorum fiduciam excitet, eius autem neglectus profundam, etsi secretam et mutam, aversionem.

Ecclesia proinde, tum ob suam certitudinem possidendi veritatem et loquendi ipsius iustitiae voce, tum ob officium, quo ad eam omni ratione enuntiandam tenetur in communionem Episcoporum, Sacerdotum, religiosorum utriusque sexus et christifidelium, tum denique ob conscientiam suae incomparabilis praestantiae moralis, debet, mea humili sententia, summa vi ac libertate:

- proclamare sive populorum iniuste oppressorum iura, sive officia eorum ad quos pertinet iniuste facta impedire;
- aperte profiteri suam solidaritatem cum iis qui patiuntur propter aliorum cupiditatem et oppressionem, interpret sic facta eorum qui vel loqui non possunt vel a nemine audiuntur;
- aperte offensas contra iustitiam damnare.

Haec autem damnatio praestantior acceptiorque erit et populis et historiae, si ditiores quoque et potentiores plectetur, hoc est, quo perfectius congruet cum norma iustitiae, quae talis esse desinit si iniustitiae non adversatur, etiam a potentiore patrae; immo vero eo gravior debet esse reprobatio, quo fortior est iniustitiae reus.

Hoc est quod enixe optamus, ut omnes agnoscant nos humanae conscientiae vocem recte pleneque tum verbis tum actionibus interpretatos ac secutos fuisse.

Quoad practicas vero rationes exsequendi postulata conscientiae, iis adhaereo quae proposita sunt. Velim tamen humiliter advertere opportunius videri ut nova proposita consilia cum antea apud S. Sedem existentibus connectantur: etenim S. Sedes, sicut caritatis, ita est Sedes iustitiae et pacis fovendae.

Quia tamen rerum condicio una eademque non est pro universis populis, patet omnibus quantum sit ius et officium conferentiae Episcopalis uniusquisque nationis in perpendendis et proponendis mediis quibus iustitia obtineri aut reintegrari possit.

Semper tamen, ut patet, vitanda sunt omnia quae in gravius oppressorum periculum aut damnum verterentur.

Censeo pariter nos omnes consentire in necessitate vitandi ut condemnatio eorum quae iniuste patrantur a gentibus vel institutionibus christiano nomine insignitis,

oblitteret infensissimum hostem libertatis humanae, praesertim vero religiosae (nemo enim oblivisci potest quae hic audivimus de oppressa libertate religiosa in Ucraina).

Praeterea, dum vires exercere nostras cupimus ad populi animum formandum circa abolenda aut limitanda arma, vitandum est ne fortior armatusque perstet ille implacabilis hostis nominis christiani.

Velim insuper ut sermo noster sit quavis voce locutioneque destitutus, quae violentiae favere posse videatur.

Denique, etsi vero cum gaudio audivi tam ample ac sapienter et unanimiter de iustitia loqui, fateor me nescire qua ratione tantam iustitiae dilectionem haud semper sequatur amor iuris; ius enim, quamvis non semper pro ipsa iustitia sumi possit, iustitiam tamen natura sua exprimit et necessario ad eius executionem requiritur.

Iustitia sine iure est flatus vocis.

Romae, 29 octobris 1971.

Card. DINUS STAFFA